

intervallis dierum in dominica mensa præparatur, & de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitum. Res vero ipsa, cujus Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitum, quicumque ejus particeps fuerit.

290. Resp. S. Augustinum eo loci manducationem Corporis & Sanguinis Christi moraliter explicare, non de manducatione spiritali per fidem, sed de incorporatione in societatem Sanctorum, quæ Christi corpus mysticum est: ac docere Fideles, hunc esse finem Eucharistiæ, ut conjunctionem intimam cum Christi corpore mystico designet, atque operetur. Quæ explicatio minime patrocinatur sensui spiritali Calvinitarum: cum manducatio spiritalis ad Corpus Christi naturale, non ad corpus mysticum, secundum ipsos referenda sit. Ideo autem S. Augustinus in his tractatibus, seu sermonibus in Joannem, quos è suggestu coram frequenti populo pronuntiabat, morali sensui potissimum insitit, quia coram Catechumenis loquebatur, quibus occultare mysteria, & præcipue Eucharistiæ Sacramentum, solebat. Ut patet ex dialogo N. 284. relato, & ex ipso Aug. tract. 11. in Jo.

291. Urget Albertinus alium celebrem locum ex S. Aug. LL. de doctrina Christiana, in quibus modum Scripturas optime interpretandi docere volens, postque L. 1. de rebus tractasset, L. 2. de signis, deum in tertio agit de actionibus, & locutionibus figuratis, quæ cum sæpe occurrant, studiosius sunt distinguendæ. Hanc autem regulam assignat lib. 3. c. 10. Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Quam regulam c. 16. de novo, & explicatius ita reuertit: Si præceptiva est locutio, aut flagitium, aut facinus veterans, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est. Quod ita

explicat: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis, vitam in vobis non habebitis. Facinus aut flagitium videtur jubere: figura ergo est, præcipiens passioni Domini esse communicandum, quod caro ejus pro nobis crucifixa, & vulnerata est. Quibus verbis S. Augustinus totum ædificium subruit, quod realis præsentia defensores super caput lectum Joannis ædificant.

292. Resp. I. Hanc regulam à S. Aug. traditam, si generatim, & absque restrictione sumatur, falsam esse, ut patet exemplis immolationis Isaac Gen. 12. spoliationis Ægyptiorum Exodi 12. &c. & fatetur ipse Albertinus manifestis his exemplis convictus; atque observat ipse Aug. l. c. c. 2. inquit: Si perspicue sonat verbum Scripturæ, non est ad aliud referendum, quasi figurate dictum sit. Satisque est in his verbis ad mandantis auctoritatem, & justitiam recurrere.

293. Resp. II. Etsi cum his restrictionibus sumatur regula ab Aug. data, perperam tamen applicatur his verbis Christi, nisi manducaveritis carnem filii hominis, secundum catholicum sensum explicatis; cum ex vi circumstantiarum juxta literæ proprietatem de manducatione reali intelligenda sint, & in jubentis auctoritate sit acquiescendum, ut agnoscent Patres. Vult ergo solum Augustinus l. c., quod Christus illis verbis facinus, vel flagitium jubere videatur, si prædicta verba ad sensum Capharnaitarum de vulgari comestione intelligantur; & ideo figuram in illis verbis agnoscat, quæ analogice ad corporalem manducationem in plures partes dividitur objectum, quod spiritaliter manducatur, gultatur cum singulari voluptate, in ventre memoriæ reconditur, digeritur, ejulque meditatione animus alitur. Sacramentalem porro, & orem Corporis Christi manducationem S. Augustinus non rejicit, de qua hæc verba aliis in locis constanter explicat, scilicet, contra adversarium Legis, & Prophetarum c. 10. q. 57. in Levit.

Levit. l. 1. de peccatorum meritis, & remissione c. 20. tract. 2. & 26. in Jo. serm. 2. & 49. de verbis Domini, Lib. 1. contra Cresconium, & in enarrat. in Ps. 33. & 98. Sed de ea silet hoc in loco, quia nihil ad ejus institutum conducebant laudata verba secundum sensum sacramentalis manducationis intellecta, utpote nec umbram præcepti flagitii continentia.

294. Sed ut sensum S. Augustini penitus inspicias, nota, locutiones figuratas in sacris Literis dupliciter esse generis: quædam enim sunt, in quibus verba non significant id, ad quod exprimentum primitus sunt instituta, sed ad aliud significandum transferuntur, quo modo Christus dicitur Lapis angularis, Leo de tribu Juda, Vitis, Olivum, Ovis. Aliæ è contra, in quibus verba quidem significant id, ad quod significandum primitus sunt instituta; sed tamen id, quod exprimunt, alterius rei figura est, quam non exhibet eandem significationem. Inter quas figuratas locutiones hoc notabile discrimen intercedit, quod prioris generis literalem sensum penitus excludant, posterioris minime. Ut constat ex ep. ad Gal. c. 4. ubi Paulus scribit: Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera, sed qui de ancilla, secundum carnem natus est, qui autem de libera, per reprobationem, quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc autem sunt duo Testamenta. Quem locum, etsi Apostolus per allegoriam, seu figuram dictum interpretatur, non vult tamen sensum literalem, & historicum excludi. Et hujus generis figuratam locutionem hæc verba, nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. continent; significant enim veram carnis Christi manducationem, & veram sanguinis ejus sumptionem ineruento, invisibili, & impassibili modo, non eruento illo, & barbaro, quemadmodum Capharnatæ intelligebant; quæ tamen manducatio rei alterius figura est, scilicet Passionis Christi, cui manducando communicamus, &

mortis ejus, quam hæc occasione recolimus. Id quod solum voluit Augustinus, dicens: Figura est ergo præcipiens Passionem Domini esse communicandum, &c.

295. Quia distinctione notata una cura clavi N. 158. assignata, non tantum facile solvuntur replicæ contra datam solutionem à Calvinistis asserit solite; sed etiam alia quamplurima loca, quæ ex ejusdem Patris sermonibus, ubi modo in sensu morali, modo in mystico, modo in anagogico, pro subjectæ materiæ exigentia, sublimè hoc mysterium populo explicat, quæque homines isti valerrime nequissimo consilio coaccervant, ut simplicioribus fucum faciant.

296. XV. Obijciunt auctoritatem Facundi Hermianensis, Authoris sexti seculi, qui lib. 9. c. ult. ita habet: Sicut Sacramentum Corporis, & Sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, Corpus ejus & Sanguinem dicimus, non quod proprie Corpus ejus sit panis, & poculum Sanguis: sed quod in se mysterium Corporis ejus, Sanguinisque contineant. Ergo sentit Eucharistiam esse puram figuram Corporis Christi.

Resp. hoc loco abuti Hæreticos: loquitur enim Facundus de speciebus visibilibus panis & vini, quæ si per se spectentur, non sunt proprie Corpus & Sanguis Christi, sed ejus signa, illud tamen vere & reipsa continentia. Caterum enucleando testimonio hominis Schismatici, qualem fuisse Facundum probant moderati Critici, non est tantopere insudandum, sed Ecclesiæ Catholicæ fides ex cæterorum Patrum clarissimis testimoniis æstimanda.

297. XVI. Et ultimo obijciunt consuetam suam calumniam, Paschasius Radbertus, homo privatus, transubstantiationis dogma in Ecclesiam invehit seculo IX. ergo novum est, & consequenter impium. A. probant dupliciter: primo ex testimoniis ipsius Radberti; secundo ex auctoritate illorum Virorum, qui ipsius librum de Corpore & Sanguine Christi im-

pugnant. Et primo quidem testimonia Radberti sunt sequentia: 1. testatur se ad intelligentiam hujus mysterii plures excitate. 2. à Frudegardo postulat, ut si quid reprehensione dignum in libro suo deprehendat, sibi significet; id autem, dicunt, non postulasset Paschasius, si fidem atque doctrinam sui temporis retinisset. 3. asserit quosdam circa hoc Sacramentum de ignorantia errare, multos dubitare.

293. Respondeo N. A. qui enim fieri potuit, ut hæc doctrina Paschasii Ecclesiam Græcam, Nestorianam, Jacobiticam pervaderet, atque ad Æthiopos & Indos inadvertenter, & nullo proflus reclamante penetraret, si privati hominis fuit commentum? O! miseram certe Calvinistarum sortem, qui nihilominus de contrario sunt persuasissimi. Ad momenta levissimum proflus & inania in probatione allata Resp. & quidem ad 1. licet Christiani omnes tempore Paschasii crederent Eucharistiam esse vere & realiter Corpus & Sanguinem Christi, sicut & nos credimus; non tamen noverant omnes significationes mysticas Symbolorum, analogiam hujus Sacramenti ad veteris Testamenti figuras, finem multiplicem, ob quem Christus illud instituit, & alia similia, quædam Radbertus in suo libello explicat, recte testatur: *Se ad intelligentiam hujus mysterii plures excitasse.*

Ad 2. quod plane futile est, Resp. Paschasium Frudegardi censuræ non fidem suam de Eucharistia, sed librum de hac fide à se conscriptum subjecisse, quod de facto à sobris prædicatur.

Ad 3. quod ejusdem farinae est, respondet ipse Paschasius in commentario in Matth. *Quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen adhuc est in aperto, qui ita hoc esse contradicat, quod orbis totus credit, & consistit.* Quibus verbis profuturè, suo tempore totum orbem Christianum in transubstantiationis dogma conspirasse, est obscuri quidam, & ingenii sui decempera divina me-

tientes, occulte contra hæc doctrinam murmuraverint. En ergo orbem totum sæculo IX. cum Calvinistis, conspirantem scilicet. Sed audiamus adversarios Radberti testimonia, à Calvinistis asseri solita.

299. Sunt autem Anonymus quidam, & Herigerus, qui à Patre Cellotio in Appendice Gottschalci vulgatus est, sub solo etiam Anonymi titulo.

Resp. Utrunque revera disensisse à Paschasio in modo loquendi, neutrum in fide præsentie realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia; & Herigerum longe post Paschasii obitum scripsisse, scilicet post a. 990. quo factus est Abbas Laubienlis. Igitur negabant Eucharistiam dicendam Corpus ipsum Christi, quod de Maria natum est, quia assueverant S. Hieronymi, & S. Augustini dictis, qui duplex, aut triplex Christi Corpus distinxerunt, non tamen aliud esse asserbant *naturaliter Corpus Domini*, quod ex substantia panis & vini pro mundi vita quotidie per Spiritum S. consecratur; & quod natum est de Maria Virgine: ut loquitur Anonymus (cujus scriptum exlat in Codice Gemblacensis Cœnobii cum Herigeri opusculo) quibus verbis diversum duntaxat existendi modum diversaque speciem, quæ Christi Corpori competit in statu naturali & sacramentali, significabant, ejus causa quædam Christi Corpori in Sacramento conveniunt, quæ ei per se non conveniunt in statu naturali, ut carere extensione locali, per se non moveri, manducari. Hinc Anonymus, recensita S. Augustini sententia, quam laudat Paschasius, ita colligit: *Si enim verum, imo quia proculdubio verum, quod tantus auctor falsus est, quia Christum vorari fas dentibus non est, quomodo carnem Christi vorari fas, si de Maria nata, & in Cruce passa, & in sepulchro resuscitata est? præsertim cum illa Christi caro resurgens de sepulchro ita glorificata est, ut jam vorari nullo modo possit.* Cæterum Anonymum illum credidisse cum Paschasio ceu dogma fidei, real-

lem

## S. VII.

## De Symbolo Viennensi.

lem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, & transubstantiationem, patet ex illius opusculo, in quo statim ab exordio hæc habet: *Quod Corpus & Sanguis Domini vera sit caro, verusque sit sanguis, unusquisque debet credere, nosse, tenere, consistere pariter, & incontinenter asserere Fidelis. Proflus quisquis hoc negat, esse cognoscitur, & convincitur infidelis, quippe qui non credit ipsi Domino dicenti: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

300. Jam quod Herigerum attinet, tantum abest ut Paschasii doctrinam de reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Sacramento præsentia impugnaret, ut eam etiam laudaret impensius. Nonnullis enim dicentibus, in Eucharistia aut solam figuram, aut solam veritatem sine figura exiltere, opponit caput 4. Paschasii his verbis: *Sed Paschasius Radbertus: sicut & alia multa in eodem libro ultra humanam existimationem utiliter tractat, ita & huic sophismati fortiter obviat, dicens: Figuram non semper umbram esse; & jure simul hoc mysterium, & figuram, & veritatem dici posse.* Et deinde in sensu Anonymi citati negat in hoc Sacramento Corpus Christi esse idem, quod natum est de Maria Virgine, nempe quoad modum. Et eodem tempore modo ab eodem Paschasio circa Eucharistiam disenserunt Rabanus, & Maurus, de quibus legendi sunt doctissimi Viri Antonius Arnaldus de perpetua Ecclesiæ fide circa Eucharistiam vol. 1. lib. 8. Mabillonius in doctissima præfatione in 2. p. sæculi IV. Benedictini, & Nat. Alex. in erudita dissertatione 5. In bist. Eccl. sæculum IX. & X. ubi invictis argumentis demonstrat sæculo X. nil in fide & doctrina Ecclesiæ de Eucharistia novatum esse.

Quod, ut jam diximus, consensu omnium Ecclesiarum extra horum

Synagogas proflus  
evincit.

301. Sæculo necdum elapso à celebratione magni Concilii Lateranensis, seu a. c. 1311. Viennæ Allobrogum celebratum est Concilium sub Clemente V. Romano Pontifice, & Henrico VII. Imperatore Episcoporum amplius 300. contra Templarios, Beguardos, aliosque Hæreticos, in quo post latam de Ordinis hujus extinctione sententiam, illa decreta sunt edita, quæ exstant in corpore Juris Canonici sub nomine Clementinarum: quorum primum, sub titulo de summa Trinitate, & fide collocatum, continet illud Symbolum, quod supra ordine quintum inter derivativa posuimus, atque à loco, ubi editum est, Viennense nuncupavimus. Et sonat:

**F**idei Catholica fundamentum, præter quod (teste Apostolo) nemo potest aliud ponere, firmiter inbarentes, aperte cum Sancta Matre Ecclesia consistemus unigenitum Dei Filium, in iis omnibus, in quibus Deus Pater exiit, una cum Patre æternaliter subsistentem, partes nostræ naturæ simul unitas (ex quibus in se verus Deus existens fieret verus homo) humanum videlicet corpus passibile, & animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere per se, & essentialiter informantem, assumpsisse ex tempore, in virginali Thalano ad unitatem suæ hypostasis & personæ. Et quod in hac assumpta natura ipsum Dei verbum pro omnium operanda salute non solum affigi Cruci, & in ea mori voluit, sed etiam emissio jam spiritu perforari lancea sustinuit latus suum: ut exinde profluentibus undis aquæ & sanguinis, formaretur unica, & immaculata, ac Virgo Sancta Mater Ecclesiæ, Conjugis Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in conjugium

L 2

est

est formata: ut sic certa figura primi, & veteris Adæ (qui secundum Apostolum est forma futuri) in nostro novissimo Adam, id est, Christo, veritas responderet. Hæc est, inquam, veritas illius prægrandis aquilæ vallata testimonio, quam Propheeta vidit Ezechiel animalibus cæteris Evangelicis transvolantem, Beati Joannis videlicet Apostoli, & Evangelistæ, qui Sacramenti hujus rem gestam narrans, & ordinem, in Evangelio suo dixit: Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non frægerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua: & qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus: & ille scit, quia vera dicit, ut & vos credatis. Nos igitur ad tam præclarum testimonium, ac Sanctorum Patrum & Doctorum communem sententiam, Apostolica considerationis (ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet) aciem convertentes, sacro approbante Concilio declaramus, prædictum Apostolum, & Evangelistam Joannem rectum, in præmissis factæ rei, ordinem tenuisse: narrando, quod Christo jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit.

Porro doctrinam omnem, seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectiva vere, & per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati Catholice inimicam fidei, prædicto sacro approbante Concilio, reprobamus: Desinentes, ut cunctis nota sit fidei sincera veritas, ac præcludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam Hæreticus sit censendus.

Ad hoc Baptisma unicum baptizatos omnes in Christo regeneratos est (sicut unus Deus ac fides unica) ab omnibus se-

deliter constituendum. Quod celebratum in aqua, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, credimus esse tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem. Verum quia, quantum ad effectum Baptismi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse: quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: aliis è contra asserentibus, quod & culpa eisdem in Baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etiam non pro illo tempore quoad usum; Nos tamen attendentes generalem efficaciam moris Christi (quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes) tanquam probabiliozem, & distis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.

302. Occasionem huic Symbolo deerunt errores Petri Joannis Olivæ, quem Fratricelli, Beguardi, & Beguinarum, ut Patriarcham venerati sunt. Hic, cum præter alia impia dogmata, quæ in sua postilla, seu in commentario super Apocalypsim evomuit, peculiariter doceret, I. Parvulis in baptismo gratias, & virtutes non conferri. II. Animam rationalem non esse formam corporis. III. Christi adhuc viventis, non mortui, latus lancea confossum, apertumque fuisse: Clemens V. hos tres errores in hocce decreto Symbolico damnavit, ut patet illud insipienti. Equidem Lucas Wadingus præfatum Joannem Olivam tum à dictis, tum ab aliis erroribus eidem à Clemente V. cum Generali Concilio, item à Joanne XXII. imputatis, purgare nititur; sed ex tantis testibus aperte falli convincitur à Nat. Alex. in hujus sæculi 14. hist. Eccl. c. 3. §. 9. No-

Nobis impræsentiarum sufficit hos errores per præfens Symbolum fuisse exclusos.

303. Beguardorum, & Beguinarum errores, quamvis in eadem Synodo fuerint damnati, non tamen in hocce decreto Symbolico, sed in Clem. ad nostrum de hæreticis. Ad eandem Synodum refert S. Antonium Clementinam Ex gravi de usuris, quæ hæreticos damnati sunt, qui pertinaciter adhererent usuris non esse peccatum.

304. Circa idem Symbolum præterea notatu dignum est, in eo, præter articulos fidei, etiam definiti propositionem de facto pure scholasticam tanquam probabiliorum: nimirum, inter has duas secundam priori oppositam, quarum utraque habetur in fine ejusdem Symboli.

## §. VIII.

De Symbolo Florentino, seu Literis pro instructione Armenorum editis.

305. **I**nter Symbola derivativa sexto loco commode referri potest decretum, quod pro instructione Armenorum ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, post discessum Græcorum, Latinis adhuc congregatis, Oratoribus Armenis datum est in Patriam perferendum, & incipit: Exultate Deo, &c. atque refertur apud Coletum tom. 18. pag. 541. & seqq.

306. Occasio condendi hujus Symboli, uti refertur apud eundem Colet. tom. 18. pag. 538. fuit sequens. Cum fidei definitio, seu decretum unionis editum, omniumque Florentinæ Synodi Patrum, cum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ subscriptionibus munitum, ac in publica sessione Synodali solemniter promulgatum fuisset pridie nonas Julii 1439. & die 20. & 21. ejusdem mensis Græci quinque exemplaribus ejusdem definitionis subscripsissent; post aliquot dies advenserunt apoclitarii Patriarchæ Armenorum, querentes & ipsi unionem cum Ecclesia Romana, fideique rec-

titudinem. Qui Pontificem venerati, Græcorum etiam Imperatorem Joannem Palæologum in Concilio præsentem salutaverunt, consiliumque suum ejus Majestati exposuerunt: rogantes, ut ipsos auxilio, prædentiaque sua juvaret. Respondit Imperator, sibi gratissimam esse eorum voluntatem, & Deum pro eorum unionem precari, quæ si consisteret, se quoque ipsis in omnibus adjunctorum fore pollicitus est. Mox Græci Florentiam exeuntes Venetias petierunt, indeque domum sunt reversi, ut habent acta Concilii. Post illorum vero discessum sæpe cum Armenorum Oratoribus de sancta unionem contulit Eugenius IV. Virosque omnium Ordinum divini, ac humani Juris peritissimos deputavit, qui omni cura, studio, diligentia rem istam cum ipsis Oratoribus pertractarent, ab eis accurate inquirentes de eorum fide tam circa Divinæ unitatem Essentia, & Divinarum Personarum Trinitate, quam Domini nostri J. C. humanitatem, & septem Ecclesiæ Sacramenta, aliaque ad Fidem Orthodoxam, & ritus universalis Ecclesiæ pertinentia. Multis itaque adhibitis disputationibus, collationibus, & tractatibus, expedire judicavit Eugenius, (ut ipse ait) ne ulla in futurum de fidei veritate apud Armenos esset hæsitatio, atque idem per omnia saperent cum Sede Apostolica, unioque ipsa itabilis, & perpetua sine ullo scrupulo perseveraret, Orthodoxæ Fidei veritatem, quam super præmissis Romana profiteretur Ecclesia, sacro approbante Concilio, ipsis etiam Oratoribus ad hoc consentientibus, compendio tradere: quod hocce decreto præfuit 10. Kalen. Decembris ejusdem Anni 1439. quatuor post discessum Græcorum mensibus.

307. In hoc fidei compendio Eugenius Papa IV. Armenis tradit I. Symbolum CP. cum additione particula: *Filioque*, quam dicit eidem Symbolo, declarandæ veritatis gratia, & urgente necessitate, licite & rationabiliter esse appositam, cum mandato, ut illud, quemadmodum Latinis mos

est, in suis Ecclesiis, singulis saltem Dominicis, & Felis intra Missarum solemnitas decantent vel legant. 2. Definitionem quarti Generalis Concilii Chalcedonensis, in quinto & sexto renovatam, de duabus naturis in una Christi Persona. 3. Definitionem de duabus voluntatibus, duabusque Christi operationibus in sexta Synodo Œcumenica promulgatam. 4. Mandat, ut non tantum dictas tres Œcumenicas Synodos, sed & omnes alias generales, autoritate Romani Pontificis legitime celebratas, reverenter suscipiant; atque S. Eonem M. tanquam Sanctum, & in Catalogo Sanctorum merito descriptum de cætero reputent, & venerentur. 5. Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam præsentium, quam futurorum faciliiori doctrina ipsis compendio exhibet: quam mox apponemus. 6. Ipsis tradit Symbolum Athanasii. 7. Decretum unionis cum Græcis in hoc Concilio promulgatum. 8. Decernit, ut Armeni conformiter aliis Ecclesiis celebrent festum Annuntiationis die 25. Martii, festum Nativitatis B. Joannis Baptistæ 24. Junii, festum Nativitatis Domini 25. Decembris, Circumcisionis 1. Januarii, Epiphaniæ 6. ejusdem mensis, & festum Purificationis 2. Februarii.

Instructio Armenorum de septem Ecclesiæ Sacramentis.

**N**ovæ Legis septem sunt Sacramenta, videlicet; Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandum esse figurabant: hæc vero nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spirituales vitæ ususque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicatim

namque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur: per Confirmationem augetur in gratia; & roboramur in fide: renati autem, & roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum agriditinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam, & corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam Unctionem. Per Ordinem vero Ecclesiæ gubernatur, & multiplicatur spiritualiter. Per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministris conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesiæ: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim Membra Christi, ac de corpore efficiuntur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua, & spiritu renascimur, non possumus, ut inquit veritas, in regnum celorum introire. Materia hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis: nec refert, frigida sit, an calida. Forma autem est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Non tamen negamus, quin & per verba illa: Baptizor talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, verum perficiatur Baptisma: quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur assensu, qui per ipsum exercetur

etur Minister, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Minister hujus Sacerdos, cui ex Officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus vel Mulier, imo etiam Paganus, & Hereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesiæ. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Celorum, & Dei visionem perveniunt.

Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex Oleo, quod nitorem significat conscientie, & Balsamo, quod odorem significat bonæ fame, per Episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ordinarius Minister est Episcopus. Et cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum enim audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut reciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesiæ Confirmatio. Legitur autem aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem,

Chrismate per Episcopum confecto, hoc ministrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen, ideoque in fronte, ubi verecundie sedes est, confirmandus inungitur, nec Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem ejus, quæ Judæis quidem est scandalum, Gentibus autem stulticia, secundum Apostolum: propter quod signo Crucis signatur.

Tertium est Eucharistia Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia Sanctorum Patrum, ac Doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibitæ, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum. Deinde quia hoc convenit Dominicæ Passionis representationi. Inquit enim Beatus Alexander Papa, Quintus à Beato Petro: In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solemnias Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum in Sacrificium offerantur. Non enim debet in Calicem Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque, id est, sanguis & aqua ex latere Christi profusæ legitur. Tum etiam, quod convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: Aquæ multæ populi multi. Et Julius Paps, Secundus post Beatum Sylvestrum, ait: Calix Domini juxta Canonem præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi Sanguinem Christi. Ergo cum in Calice vinum & aqua miscetur, Christo populus adunatur, & Fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur.

Cum

Cum ergo tam Sancta Romana Ecclesia à Beatisimis Apostolis Petro & Paulo edoc-  
ta, quam relique omnes Latinorum, Græ-  
corumque Ecclesie, in quibus omnis sanc-  
ticitas, & doctrina lumina claruerunt,  
ab initio nascentis Ecclesie sic servaverint,  
& modo seruent; inconueniens ad-  
modum videtur, ut alia quævis Regio ab  
hac universali, & rationabili discrepet  
obseruantia. Decernimus igitur, ut etiam  
ipsi Armeni se cum Christiano Orbe con-  
forment uniuerso, eorumque Sacerdotes  
in Calicis oblatione paululum aquæ,  
prout dictum est, admisceant vino. Forma  
hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris,  
quibus hoc conficit (1) Sacramentum; Sa-  
cerdos enim in Persona Christi loquens hoc  
conficit Sacramentum. Nam ipsorum ver-  
borum virtute substantia panis in Corpus  
Christi, & substantia vini in sanguinem  
conuertuntur: ita tamen, quod totus  
Christus continetur sub specie panis, &  
totus sub specie vini: sub qualibet quoque  
parte hostie consecrata, & vini consecra-  
ti, separatione facta, totus est Christus.  
Hujus Sacramenti effectus, quem in ani-  
ma operatur digne sumentis, est aduna-  
tio hominis ad Christum; & quia per gra-  
tiam homo Christo incorporatur, & mem-  
bris ejus unitur; consequens est, quod per  
hoc Sacramentum in sumentibus digne  
gratia augeatur: omnemque effectum,  
quem materialis cibus, & potus quoad  
vitam agunt corporalem sustentando, au-  
gendo, reparando, & delectando, Sa-  
cramentum hoc quoad vitam operatur spiri-  
tualiter; in quo, ut inquit Urbanus Pa-  
pa, gratiam Salvatoris nostri recensemus  
memoriam, à malo retrahimur, confor-  
tamur in bono, & ad virtutum & gratia-  
rum proficuum incrementum.

Quartum Sacramentum est Peniten-  
tia, cujus quasi materia sunt actus peni-  
tentis, qui in tres distinguuntur partes:  
quarum prima est cordis contritio; ad

quam pertinet ut doleat de peccato com-  
missio cum proposito non peccandi de cate-  
ro. Secunda est oris confessio; ad quam  
pertinet, ut peccator omnia peccata, quo-  
rum memoriam habet, suo Sacerdoti con-  
fiteatur integraliter. Tertia est satisfactio  
pro peccatis secundum arbitrium Sacerdo-  
tis; quæ quidem præcipue fit per oratio-  
nem, jejunium, & elemosynam. Forma  
hujus Sacramenti sunt verba absolutionis,  
quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te  
absolvo, &c. Minister hujus Sacramenti  
est Sacerdos habens auctoritatem absolven-  
di vel ordinariam, vel ex commissione Su-  
perioris. Effectus hujus Sacramenti est ab-  
solutio à peccatis.

Quintum Sacramentum est Extrema  
Unctio, cujus materia est oleum olivæ  
per Episcopum benedictum. Hoc Sacra-  
mentum nisi infirmo, de cujus morte ti-  
metur, dari non debet: qui in his locis  
ungendus est, in oculis propter visum, in  
auribus propter auditum, in naribus  
propter odoratum, in ore propter gustum  
vel locutionem, in manibus propter tac-  
tum, in pedibus propter gressum, in reni-  
bus propter delectationem ibidem vigen-  
tem. Forma hujus Sacramenti est hæc:  
Per istam unctionem, & suam piissimam  
misericordiam indulgeat tibi Dominus,  
quidquid per visum, &c. & similiter in  
aliis membris. Minister hujus Sacramenti  
est Sacerdos. Effectus vero est mentis sana-  
tio, & in quantum autem expedit, ipsius  
etiam corporis. De hoc Sacramento inquit  
Beatus Jacobus Apostolus: Infirmum quis  
in vobis? inducat Presbyteros Ecclesie,  
ut orent super eum, ungentes eum Oleo  
in nomine Domini, & Oratio fidei salua-  
bit infirmum, & alleviabit eum Dominus:  
& si in peccatis sit, dimittentur ei.

Sextum Sacramentum est Ordinis, cu-  
jus materia est illud, per cujus traditio-  
nem confertur Ordo, sicut Presbyteratus  
traditur per calicem cum vino, & patenæ  
cum

cum pane porrectionem. Diaconatus vero  
per libri Evangeliorum dationem. Sub-  
diaconatus vero per calicis vacui cum pa-  
tena vacua superposita traditionem. Et si-  
militer de aliis per rerum ad Ministeria  
sua pertinentium assignationem. Forma  
Sacramenti talis est: Accipe potestatem  
offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis,  
& mortuis, in nomine Patris, & Filii,  
& Spiritus Sancti: & sic de aliorum Or-  
dinum formis, prout in Pontificali Ro-  
mano late continetur. Ordinarius Mini-  
ster hujus Sacramenti est Episcopus. Ef-  
fectus augmentum gratiæ, ut quis sit ido-  
neus Minister.

Septimum est Sacramentum Matrimo-  
nii, quod est signum conjunctionis Christi,  
& Ecclesie, secundum Apostolum dicen-  
tem: Sacramentum hoc magnum est: Ego  
autem dico, in Christo, & in Ecclesia.  
Causa efficiens Matrimonii regulariter est  
mutuus consensus per verba de præfenti ex-  
pressus. Assignatur autem triplex bonum  
Matrimonii. Primum est proles suscipien-  
da, & educanda ad cultum Dei. Secun-  
dum est fides, quam unus conjugum alteri  
seruare debet. Tertium indivisibilitas Ma-  
trimonii, propter hoc, quod significat in-  
divisibilem conjunctionem Christi, & Ec-  
clesie. Quævis autem ex causa fornicati-  
onis liceat tori separationem facere, non  
tamen alius Matrimonium contrahere fas  
est; cum Matrimonii vinculum legitime  
contracti perpetuum sit.

308. Hoc Fidei compendio Armeni  
Ecclesie Catholice uniti, in eo felici fede-  
re hodieum perleverant, ut constat ex  
veterum frequentissima Carravanna, quam  
hoc, quo hæc seribo, Jubilæi Anno 1750.  
Romani instituerunt, ibidem ab eorum, &  
nostro SS. Patre, ac zelosissimo Pastore  
paterno sinu excepti, ac Benedictione Pa-  
pali, largissimisque muneribus ditati in Pa-  
triam remissi. Non solum autem in Fide,  
sed etiam in ritibus cum Ecclesia Roma-  
na de facto communicant Armeni, in op-  
probrium sempiternum levitatis, ac in-

constantia Græcorum, qui definitionem  
fidei, collationibus, disputationibusque  
tantis in eodem Concilio evictam, summa-  
moque animorum consensu in quinque  
exemplaribus subscriptam, nescio, an ci-  
tius Sedibus suis invexerint, an vero, Mar-  
co Ephesina Ecclesie Episcopo pro obtu-  
randis eorumdem cervicibus, ac firmando  
postliminio Schismate classicum instantem,  
Græcæ fidei, atque constantia dele-  
ruerint?

#### QUÆSTIO POLEMICA.

An, sicut dicit Eugenius Papa IV. in  
præfenti Decreto, seu Symbolo, parti-  
cula Filioque licite ab Ecclesia  
Latina Symbolo CP. sit  
apposita?

309. Quamvis præsentem Quæstionem  
supra §. IV. agendo de Sym-  
bolo CP. pertractari non incongruum fuisse-  
ret; quia tamen in Concilio Florentino,  
in quo, post discessum Græcorum præfens  
constitutio ab Eugenio IV. edita est, præ-  
ter alia, super licitate hujus additionis tota  
ingeniorum vi, summa tamen charitate  
disputatum est, eam huc transulimus dis-  
quærendam.

310. Observandum tamen, Græcos,  
etiam negare Spiritum S. à Filio procedere,  
ex hoc nihilominus capite Latinos de  
additione hujus particule non impugnas-  
se, sed generalius processisse, videlicet, quod,  
quidquid sit de hoc fidei dogmate, La-  
tini nihilominus pessimo consilio hoc ad-  
ditamentum fecerint, eo quod id factum  
esse contra Patrum, Conciliorumque prohi-  
bitionem apertam censent. Quapropter,  
sicut supra §. VI. dum ageremus de addi-  
tione particule transubstantiationis, aliis  
difficultatibus prætermisissis, in eo solo dis-  
putationis cardo vertebatur, ut hereticis  
nostri temporis monstraremus, illam vo-  
cem Fidei Catholice esse consonam, quo  
præfinito, nullum ipsis, ex eorum præju-  
dicia-

(1) Forte conficitur.

dicatis, restaret fundamentum huiusmodi additamentum calumniandi; ita cum Græci in hoc Concilio præsentem quæstionem de industria tractandam susceperint præcise ad illam, an Spiritus S. à Filio procedat? ex eo solo, quod existimarent, hoc additamentum esse factum contra decreta Patrum, & Conciliorum Generalium; Nos provinciam susceptam abunde explebimus, si, intacta illa intricata quæstione, cum Patribus Latinis eisdem Concilii contrarium monstraverimus.

## PROPOSITIO.

Particula Filioque sicite ab Ecclesia Latina addita est Symbolo CP.

311. **P**ROBARI posset propositio I. transmittendo Græcis, quod non obstante, quod quæcumque additio prædicto Symbolo à Conciliis ab ipsis citatis, fuerit prohibita, hæc additio ab Ecclesia Latina nihilominus licite facta fuerit, eo quod posteriora Concilia, vel Papa legibus præcedentium, si id postulet ratio, minime ligentur, cum par in parem non habeat potestatem, nihilominus probatur II. insitendo vestigiis Patrum Latinorum in Concilio Florentino contra Græcos disputantium, videlicet, additionem, qualem fecit Latina Ecclesia Symbolo CP. à nulla præcedentium Synodorum, vel Patrum fuisse prohibitam. Quod constabit, solvendo momenta Græcorum, quæ sessione 5. & seqq. attulerunt. Sed prius

312. Notandum est I. Additionem Symbolo posse dupliciter fieri. Primo, ut illa additio sit Symbolo contraria. Secundo, ut Symbolo non sit contraria, sed textus eisdem tantummodo explicativa. Hæc posterior iterum potest dupliciter fieri: primo, ut similis additio textui ipsius Symboli inferatur, eumque continuet, qualiter in præsentem casu factum est: secundo, ut textui non inferatur, sed extra illum per modum anathematismi va-

getur. Qualiter se habet appendix Symboli Nicæni, *Eos autem, &c.* & in multis Conciliis similes anathematismos recitatis Symbolis subnexos conspicimus.

313. Notandum II. Compositionem Symboli, vel additionem explicativam illius iterum dupliciter fieri posse: videlicet primo, ut per illud, aut ejus expositionem aliquis simpliciter fidem suam profiteatur; qualiter fecit Athanasius componendo Symbolum ab ejus nomine dictum, in sententia illorum, qui ei hoc Symbolum tribuunt. Secundo, ut ita compositum, vel expositum toti Ecclesie tanquam regula fidei proponatur; qualiter Apostolicum, Nicænum, & CP. fuerit proposita.

314. His animadvertis, certum est primo, jure divino, videlicet Apocalypseos ultimo esse prohibitum Sacre Scripturæ verbum, vel jota unum, etiam tantum explicativum, ita addere, ut textui inferatur, eumque continuet; uti utriusque Ecclesie consensu constat. Certum est secundo, quod nec Apocalypseos ultimo, neque Ecclesiastico mandato prohibitum sit, eam sacris Literis facere additionem, quæ textui non inferatur, nec eum continuet, sed extra eundem vagetur, ejusque sensum exponat. Hoc enim omnibus saculis à Patribus, & Doctoribus in suis commentariis factum est. Certum est tertio, Græcos in Concilio Florentino hoc saltem admisisse, quod usque ad Concilium Ephesinum licitum fuerit Symbolo Apostolorum, & Nicæno explanationem addere textui insertam, ejusque continuativam; id enim factum est à Conciliis Nicæno, & CP. summæ apud ipsos auctoritatis. Hinc illa sunt Beffarionis verba sessione 8. *Antiquis non modo explicare fas erat, sed uti etiam explanationibus, ut lubebat, præterquam in divina Scriptura: hoc est, ibi eas reponere, ubi eis visum esset, præterquam in divina Scriptura; atque vel ipsi sacro Symbolo eas interfere; vel alibi, ubicumque eis libuisset.* Certum est quarto, Græcos in

eodem Concilio pariter admisisse, quod post decreta Synodorum Ephesinæ, & Chalcedonenis licitum fuerit Symbolum CP. contra novas hæreses explicare, interpretatione extra ejus seriem vagante; hoc enim subsequa Concilia constanter præcitarunt, anathema contra hæreses promulgando. Imo sustinuerunt, privatis post dicta decreta licuisse, fidem suam quibuslibet verbis exponere, modo id faceret catholice. Dum enim Sessione 12. Julianus Cardinalis à Marco Ephesio quæreret: *An Agatbo, & Sopronius, qui suam exposuere confessionem, interdictum fidei violaverint, necne?* respondit: *Minime; quin nihil communi Symbolo addiderint, sed extra & privatim expositis suis confessionibus decreto Synodi non obstringuntur: dictum est enim, non fuisse cuiquam prohibitum privatim exponere suam fidem; sed eam pro Symbolo tradere, aut Symbolo quidpiam interfere, hoc prohibitum est.* Et circa hanc ultimam propositionem vertebatur cardo disputationis Græcos inter & Latinos, circa additionem particule Filioque habitæ.

Expenduntur momenta Græcorum, quæ tum ex Synodis, tum ex Patribus in Concilio Florentino attulerunt.

315. **O**BJICIUNT primo autoritates Conciliorum, quibus prohibetur fieri additio Symbolo Nicæno-CP. Et primo quidem Synodus Œcumenica III. seu Ephesina I. iusto Symbolo Nicæno, ac deinde Nestoriano statuit — *alteram fidem nemini licere proferre, id est, confiteri aut componere, præter definitam à SS. Patribus, qui Nicææ congregati sunt in Spiritu S. eos vero, qui ausi fuerint aut componere fidem alteram, id est, proferre; vel offerre volentibus converti in agnitionem veritatis sive ex Gentilitate, sive ex Judaismo, sive ex quacumque hæresi: hos, siquidem Episcopi*

*sint, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clericatu; si vero Laici fuerint, anathemati subijci.*

316. Resp. I. cum S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 10. ad 2. *Prohibitio, & sententia Synodi sic tantum extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide; non enim per hujusmodi sententiam Synodi generalis oblata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere; non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam.* Quæ responsio plane assequitur sensum decreti: illud enim prænas statuit in privatis Episcopos, Clericos, & Laicos, non quidem fidem suam privatim suis verbis exponentem, sed in eos, qui illam offerent ad fidem Christi converti volentibus; eo quod tunc determinaret de fide.

317. Resp. II. Cum Patribus Latinis in Concilio Florentino, lithoc decreto solum prohiberi, ne à quocumque demum fiat compositio fidei, quæ sit Nicæne contraria, vel similis particula eidem inferatur; nullatenus autem vetari, ne à potestate debita ex urgente causa fiat nova additio Symbolo, illius nude explicativa. Quæ responsio confirmatur

318. Primo ex circumstantiis hujus decreti, quas ex actis Concilii Ephesini Sessione 11. & 12. observat doctissimus Cardinalis Julianus, & habentur apud Coletum Tom. 3. pag. 1201. & seqq. Nam prout ibidem legitur, antequam Patres Ephesini hoc interdictum concederent, Charisius, qui à Nestorianis tanquam hæreticus proclamatus fuerat, primo orthodoxum suum Symbolum recitavit, quod neque Nicænum, neque CP. erat quantum ad singula verba, sed Nicænum à se interpolatum. Deinde protulit Symbolum Nestoriano, quod vocat *perfidia Symbolum*. Quibus perlectis, subdit S. Synodus: *Nemini liceat proferre, aut docere alteram fidem: postmodum damnat eos, qui confictum, & expositum à Nestorianis Symbolum tenerent, nec ullam facit mentio-*

nem Charisii, qua confessionem ejus, & fidem reprobet: ergo Synodus Ephesina non prohibuit Nicæno Symbolo fieri additionem pure explicativam, etiam textui inferendam, sed tantum contrariam; alias enim & Charisii confessionem improbasset, in qua inter alia legitur: *Et in Spiritum Sanctum consubstantialem Patri, & Filio.*

319. Confirmatur secundo ex Concilio Chalcedonensi, quod in fine Actionis V. decretum Synodi Ephesinæ supra objectum, confirmavit iisdem pene verbis, quibus fuit conditum; ex eo namque aperte colligitur, nec Ephesino, nec suo decreto prohiberi alterius Symboli compositionem catholicam, aut Nicæno-Constantinopolitanam orthodoxam expositionem etiam per particula, vel sententia insertionem; cum citata Sessio aperte profiteatur nudam explicationem, etiam insertam Symbolo, nullatenus esse additionem. Verba ejus sunt: *Decernit Sancta Synodus ante omnia fidem integram, & intemeratam permanere trecentorum decem & octo SS. Patrum, & confirmat doctrinam, quæ de sententia Spiritus S. à Patribus 150. postea congregatis in Regia Civitate tradita est propter illos, qui Spiritui S. repugnabant. Et pergit: Quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi aliquid desset, prioribus adjectives, sed suam de S. Spiritu intellectum — declarantes. Ex quibus sic argumentor. Patres CP. Symbolum Nicænum multis verbis, sententiisque intercalarunt, vel saltem ita intercalatum approbarunt; & tamen, quia erant nudæ explicationes, illis stantibus PP. Chalcedonenses decernunt, fidem Nicænam manere integram, & intemeratam, nec quidquam à PP. CP. eidem fuisse adjectum: ergo nudam explicationem, etiam Symbolo insertam, non censuerunt additionem; & consequenter hanc prohibendo illam non interdixere, sed tantum fidei contrariam.*

320. Confirmatur tertio. In dicto decreto Chalcedonensi, quod, uti monui-

mus, iisdem pene verbis decretum Ephesinum recitat, non tantum definitur, ne cui liceat proferre, aut conferbere, vel componere alteram fidem, sed etiam ne aliud sentire liceat, præter fidem Nicæne, & CP. expositam: ex quo manifestum fit, in dictis decretis tantum prohiberi additionem contrariam; alioquin enim Græci multa sentientes, quæ in Symbolo Nicæno-Constantinopolitano non sunt exposita, subjacerent Anathemati.

321. Contra primam confirmationem replicat Ephesius. Ex eo, quod Concilium Ephesinum, damnato Symbolo Nestorianorum, tacite approbaverit Symbolum Charisii, tantum sequi, dictam Synodum privatis personis permisisse, ut fidem suam, ceteroquin catholicam, suis verbis in Symbolum religerent, vel etiam verba explicativa Symbolo infererent, atque NB. *privatim*, ubi opus esset, exhiberent, quemadmodum, inquit, patet exemplo Charisii, Sophronii, & Tarasii, qui fidem suam privatim suis verbis exposuerunt, & hodieum observatur à Patriarchis Orientalibus, qui, dum inaugurantur, Patriarchæ CP. fidem suam mittere tenentur: nullatenus autem concessisse, ut privatim, vel Ecclesiæ posthac liceret Symbolum, etiam Catholicum, à Nicæno diversum componere, vel Nicænum catholice ita interpolare, ut tanquam *communis* fidei testera Fidelibus proponatur, in qua eos baptizari oporteat; huncque esse sensum præfati decreti, ex iisdem circumstantiis colligit, inquit: Charisium non accusasse simpliciter Nestorianos, quod alteram fidem edidissent; sed quod loco Nicæne fidei suam perverfam traderent, veluti *communem institutionem* iis, qui accedebant ad fidem ex hæresibus.

322. Respondet Julianus: quod Ephesius non debeat alium sensum legi tribuere, præter eum, qui exstat in ipsa Synodo vero, ac decretum idcirco abrogare, & rejicere Symbolum Nestorianum, quia multa, ac perverfa continebat dogmata; simul-

simulque censere, explicationem non esse additionem; eo quod Charisius ibi non aliud Symbolum à Nicæno recitaverit, sed Nicænum his verbis interpolatum: *Et in Spiritum veritatis Paraclætum, Patri, & Filio consubstantialem: & in Sanctam Catholicam Ecclesiam: in mortuorum resurrectionem: in vitam æternam: nec tamen propterea fuerit reprehensus.*

323. Urget Ephesius, quærens ex Juliano: an jus haberent Nestoriani, si Catholici essent, tradendi aliud Symbolum? cui quæsitio cum respondisset Julianus, illos jus habere aliud tradere tanquam privatim, non vero ut commune, & æcumenicum, intulit Ephesius: *Hoc ego plane dicebam, hac de causa non fuisse licitum tradi.* Quo probare nulus est, isthuc decreto prohiberi non tantum editionem fidei, quæ sit Nicæne contraria; sed etiam, ceteroquin Catholica, aut Nicæne fidei interpolationem, quæ nimirum tanquam *communis* infidelibus, ad agnitionem veritatis converti volentibus, proponatur; ne nimirum si hoc liceret, ad exemplum Nestorianorum, hominibus perverfis detur occasio, hæreses sub speculo titulo Symboli disseminandi.

324. Respondet Julianus: hanc facultatem privatis non esse præfati decreto, sed ab Apostolorum temporibus jam interdictam; cum illorum non sit de fide determinare, nec Ecclesiæ universa uni privato obedire teneatur.

325. Instat Ephesius: Sustinendo scopum hujus decreti esse, ut posthac *nemini* liceat, non tantum contrariam fidem edere, sed nec aliam Catholicam, aut Nicænam catholice interpolatam, tanquam communem: estque replica contra secundam confirmationem. Synodus Chalcedonensis, postquam citata Actione 5. recitari curasset Symbolum Nicænum, deinde CP. subjungit: Symbolum Nicænum *sufficere ad plenam cognitionem pietatis*: ergo dum infra vetat alteram fidem edere, ex hoc solo motivo erat, & consequenter

prohibet eidem etiam particulam explicativam addi.

326. Confirmat argumentum I. testimonio Cyrilli Alexandrini, qui nomine Cælestini I. Concilio Ephesino præfedit, ejusque quodammodo os fuit; hic enim in *Epist. ad Joannem Antiochenum* ita habet: *Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam omnino voculam (in Symbolo Nicæno) postam immutare, aut unam etiam syllabam præterire permittimus.*

327. II. Ex epistola Vigilii Papæ ad Eusebium Patriarcham CP. in qua, post receptum à se Symbolum Apostolorum per Nicænum, & hoc per CP. explicatum, anathematizatur hi, qui aliud præter dictum Symbolum præsumunt docere, aut exponere, aut tradere SS. Ecclesiis Dei.

328. III. Ex epistola Agathonis Papæ ad Imperatores Romanos, in qua hec dicit studere & optare, ut *nihil de eis, quæ regulariter definita sunt, minuatur, nil mutetur, vel augetur: sed eadem & verbis, & sensibus illibata custodiantur.* Si autem regulariter definitis vel verbum addatur, non manent eadem verbis: ergo sensus decreti Ephesini juxta explicationem Concilii Chalcedonensis, & horum Patrum non est prohibere tantum additionem contrariam, sed etiam nude explicativam: & non tantum à privato, sed etiam à Concilio, vel Papa faciendam, eo sine, ut tanquam *communis* Ecclesiæ proponatur.

329. Ad instantiam Ephesii ex Rhodo Chalcedon. observat Episcopus Rhodi in eodem Concilio Florentino, Synodum non dicere, quod Symbolum Nicænum *sufficiat*; sed sic: *Sufficeret quidem ad plenam cognitionem, & confirmationem pietatis hoc sapiens, & salutare divine gratiæ Symbolum*; & hinc locus iste magis savor Latinis, quam Græcis; cum enim Chalced. Synodus postquam hæc dixisset, Fidelibus contra Macedonianos commendat præterea Symbolum CP. & dicat:

Patres CP. Nicæno nihil adiecisse; & contra Nestorianos epistolam Cyrilli ad Nestorium, & Orientales; item contra Eutichianos epistolam Leonis M. ad Flavianum; indicavit quidem Symbolum Nicænum sufficere quantum ad rationem fidei, non vero quantum ad eius declarationem. Item, quod declaratio eidem inserta non sit additio, seu *adfectio*.

330. Et hoc pacto facile explicantur autoritates in confirmationibus adductæ; si enim ex mente Chalcedonenſis Synodi Symbolum Nicænum intemeratum mansit, nec ei quidquam adjectum fuit, quamvis à Patribus CP. plurimis sententiis fuerit explicatum, etiam Symbolum CP. intemeratum manet, si ulterius 4. syllabis explanetur: & hinc Cyrillus, Vigilius, & Agatho ad mentem Chalced. Concilii loquuntur de mutatione, vel additione contraria.

331. Et quod ita intelligendus sit Cyrillus in cit. ep. demonstrat Julianus Cardinalis his verbis: *Nam Cyrillus in ep. ad Jo. Antioch. in qua respondit Epistolæ Nestorii, multa dicit, quæ in Nicæno Symbolo non habentur expresse: quia tamen ea non erant aliena, propterea Cyrillus ait: Nil addimus, nil detrahimus, tametsi multa, ac diversa ponit.*

332. Confirmat hoc ex eisdem Cyrilli ep. ad Nestorium, ex qua plane manifestum fieri videtur, Patres Ephesinos una cum Præsede suo Cyrillo per fidem alteram intellexisse contrariam. Verba ejus ibi sunt: *Sancta Synodus Ephesi divino nutu congregata, sententiam sanctam tulit adversus Nestorium, & alios novarum vocum usurpatores, qui post illum, vel ante illum eadem, quæ ille, senserunt, eosque, qui eadem dicere, vel mandare literis audent, damnavit simpliciter, paremque in eos constituit penam.* Ex quo perspicuum esse, ait Cardinalis, Symbolum à Nestorianis confectum, & à Charisto in Synodum delatum ideo fuisse reprobatum, quod rectæ, ve-

ratæque fidei contraria dogmata contineret, non vero, quod à privatis compositum, & baptizandis ut commune fuerit propositum; hoc enim jam aliunde prohibitum fuit.

333. Quod ad Agathonis locum attinet, præterquam quod explicari jure possit ad mentem Concilii Chalcedonenſis; præterea dicimus, eum cit. epistola tantum insinuare studium ac votum, ut regulariter definitis nihil addatur: quod studium & votum Ecclesia Romana, antiquitatis tenacissima, semper exhibuit, ut infra videbimus; non autem prohibuisse, ut urgente necessitate illis explicatio aliqua inferatur. Accedit, quod idem Summus Pontifex in sua fidei expositione addiderit quædam, seu detraxerit, nec hoc extra rem Græcorum est, uti in Concilio Florentino præterdit Bessarion; cum hoc Symbolum ad Imperatores non ut privatus, sed in epistola Synodica miserit.

334. Et hæc sunt summam illæ Latinarum in hoc Concilio solutiones & rationes, quibus sensum, quem decreto Ephesino Marcus Ephesus tribuere conatus est videlicet, quod per illud prohibeatur compositio alterius Symboli, vel additio Nicæno-CP. facta, quamvis Catholica, si tanquam communis, & œcumenica fidelibus proponatur, elidere conati sunt: & simul probare, inibi nil aliud prohiberi, quam editionem, vel additionem contrariam.

335. Quæ, etsi validissimæ sunt, & ab omnibus Catholicis, non quidem ut definitiones, sed definitionis de facta licite additione particule *Filioque* rationes suspiciendæ; felicitas tamen, judicio S. Thom. l. supra N. 216. cit. sensum decreti Ephesini attigisse, quam Cardinalem Julianum; hic enim negat dicto decreto prohiberi privatis edere alterum Symbolum Catholicum tanquam commune, dicens, hoc aliunde jam esse prohibitum; ac persitit mordicus in hoc, quod editio fidei contraria solummodo prohibeatur; S. Thom. contra l. cit.

cit. expresse docet, illo decreto prohiberi privatis *primum*; eo quod eorum non sit determinare de fide, & posterioribus Conciliis *secundum*, seu editionem Symboli *aliam fidem continentis*, non autem *eandem magis expositam*: qui videtur esse genuinus sensus prælati decreti, si oculis Thomæ inspicatur, ut l. cit. annotavimus.

336. Objicit II. Bessarion Nicææ Metropolitæ, postea unione peracta S. R. E. Cardinalis (& est replica, sive cum S. Th. sive cum Cardinali Juliano decretum Ephesinum exponas): Decreto Ephesino, etsi non fuerint prohibita explanationes Symboli Nicæni, vel etiam CP. quæ extra illud vagentur; fuerunt tamen prohibita similes explanationes, etiam catholicæ, quæ eidem inferantur. Probat assumptum ex facto Patrum tum Ephesinorum, tum Chalcedonenſium, tum aliorum Conciliorum, qui etsi multis verbis, sententiisque Symbola hæc explicaverint; nullum tamen verbum ex omnibus suis definitionibus sacrosanctis depositis inseruerunt, & consequenter facto suo testati sunt, sensum Decreti Ephesini esse, non licere posthac Symbolis istis, non tantum voculam contrariam, sed nec Catholicam *interferere*, & hoc quidem nec à Concilio Generali. Nisi enim ita sensissent, fieri non potuisset, quin Synodus Ephesina eidem Symbolo contra Nestorium inferuisset vocem *Theotocos*, seu *Deipara*, & Chalcedonenſe similem Eutichianæ hæresis exclusivam: cum ergo hoc non fecerint, declararunt mentem suam esse, id nec posterioribus Conciliis licere, & revera à nullo Concilio Generali hoc Symbolum fuit temeratum, usque dum id fieret à Romana Ecclesia.

337. Resp. ex mente tum D. Thom. tum Juliani, sensum Decreti Ephesini potius colligendum esse ex his, quæ ab utroque allata sunt, quam ex argumento Bessarionis, quod claudicat; eo quod ex non usu juris, carentiam juris interat. Quod

enim Patres Ephesini Symbolo Nicæno non inferuerint tò *Deipara*, non sequitur, eos sibi, & aliis Synodis, etiam Generalibus, vel Romano Pontifici, cui competit jus ea convocandi, eam facultatem ademiſſe; sed hoc aliunde esset colligendum. Et refellitur ex eo, quod Synodus Ephesina, vel Chalcedonenſis nec habuerit potestatem sequentibus Conciliis Generalibus similem legem præscribendi: quod patet tum ex eo, quod par in parem non habeat potestatem, tum ex facto secundæ Synodi Œcumenicæ, seu CP. I. quæ celebrata est aliquot annis post Synodum Sardicensem, quæ non ideo inter Œcumenicas non numeratur, quasi talis non sit, sed quia cum Nicæna, cujus *appendix* fuit, pro una computatur: nam etsi in illa Synodo decretum emanaverit, ne quid ulterius de fide scriberetur, neque edendam esse aliam fidei professionem, ne illa, quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere videretur: neve iis, quibus libido est nova semper statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum de fide definiant. Quemadmodum scribit Athanasius ad Antiochenos in cit. edit. pag. 35. col. 2. Patres tamen CP. qui Sardicensem Synodum ut legitimam agnoverunt, & venerati sunt, uti constat ex eorum canone V. Nicænum Symbolum augmentando interpolaverunt, vel saltem ab aliis ita auctum canonizarunt: ipso hoc facto declarantes, decretum illud vel tantum prohibere editionem alienæ à Nicæna fidei, vel solum stringere privatos, non autem Synodum Œcumenicam posterorem, vel Papam ex urgente necessitate agentem. Cum ergo decretum Ephesinum & Chalcedonenſe eisdem sint tenoris, idem prohibent.

338. Objiciunt III. Ipsi Romani Pontifices hanc additionem improbarunt: ergo consenserunt esse illicitam. P. A. primo auctoritate Leonis Papæ III. qui in colloquio cum Legatis Concilii Aquigranensis hoc additamentum improbat sequen-



tibus verbis: Nos id ipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere, quidpiam eidem Symbolo inferendo, presumimus. Imo idem Pontifex, ut supra vidimus, idem Symbolum græce, & latine in argenteas tabulas sine hoc additamento sculpti curavit. Probat idem A. secundo autoritate Joan. VIII. qui in literis pro restituendo Photio Concilio Generali scriptis, jubet à Symbolo abradi particulam Filioque, additque, se impostero talem blasphemiam non laturo impune.

339. Resp. N. A. ad r. pb. Respondet Pagius ad a. c. 809. N. 7. Finis disputationis hic fuit: Symbolum cum additamento Filioque, quod ei Romana Ecclesia nondum inferuerat, à Francis decantari moleste ferebat Leo; tamen id deinceps fieri non prohibuit absolute, sed rogavit hanc in Palatio, sive in Regia Capella consuetudinem intermittere: ratus fore, ut morem Palatii libenter omnis sequeretur Francia. Pontifex ergo non absolute reprobavit additionem hanc, sed moleste illam ferebat. Ad id quod additur

340. Resp. Pontificem hoc Symbolum sine additamento sculpti curasse, ut ostenderet, à Latinis non conrenni, sicut objiciebant Græci; & prudenti consilio duxit in sua puritate asserendum, ne memoria excideret venerabilis Symboli ab antiquis Patribus traditi, & ut constaret, Latinos nequaquam optari, id esse contrarium nostro, in quo additur particula Filioque.

341. Ad alteram probationem resp. illam plura mendacia continere, à Photio viro nequam conficta, quam verba: ille siquidem vaserrimus homo duas Joannis epistolae, scilicet 199. & 201. eo consilio corrupti; tum ut autoritate Apostolica ostenderet Synodi VIII. in qua nuper fuerat depositus à Sede CP. acta esse refecta; tum ut eadem autoritate suam de Spiritu S. processione à solo Patre hæreticam sententiam confirmaret. Sed Dei sin-

gulari providentia factum est, ut ambæ hæc literæ integræ asseverent in Vaticano: quæ dam nihil horum habent; impostoris nequitiam manifeste coarguunt.

## §. I. X.

## De Symbolo Tridentino.

342. Symboli tandem, seu tesserae loco, qua legitimi Catholicæ, ac Apostolicæ Ecclesiæ filii à spiriis nostræ hæc tempelate Evangelicis, & Reformatis se se discernunt, habenda est proluxa illa fidei professio, quam post Sacrosanctum, ac Œcumenicum Concilium Trid. ab a. c. 1545. usque ad a. 1563. sub Paulo III. sub Julio III. & Pio IV. Romanis Pontificibus, Carolo V. & Ferdinando I. Imperatoribus, præsentibus circiter 280. Patribus celebratum, Pius IV. adjecto Symbolo Nicæno-CP. habeturque tum in calce c. 12. de Ref. Sess. 24. hujus Concilii, tum in Bullario Romano Constitutione 89. dicti Pontificis; & ita sonat.

Credo in unum Deum, &c. ut supra N. 96.

**A**postolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissime admitto & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimum consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere & proprie Sacramenta novæ Legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unionem, Ordinem,

dinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, que de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in SS. Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & divinitate Domini Nostri Jesu-Christi, ferique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constantè teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari: similiter & Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertendum. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutare esse assero.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu-Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro; cætera omnia à sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipue à Sacro-

Tom. I.

Sancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque Hæreses quascumque ab Ecclesiâ damnatas & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in presenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego N. N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

343. Hoc Symbolum, præter jam dictam, & supra N. 96. relatum sident Nicæno-CP. partim singillatim, partim generalibus terminis exhibet varias illas fidei definitiones, quas Sacrosanctum, ac Œcumenicum Concilium Tridentinum contra Lutheri, aliorumque id temporis hæreticorum errores suis in Sessionibus sancivit.

344. Occasionem eandem citatæ Bullæ, in qua dicta fidei professio habetur, dedit idem Concilium Trident. cir. Sess. 24. c. 12. de Ref. ubi ita decrevit: Provisi etiam de Beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur, à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romane Ecclesiæ obedientia se permanuros spondeant, ac jurent. Quam dispositionem dictus Pontifex in citata Bulla extendit etiam ad eos, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quorumcumque nomine, vel titulo providebitur. Imo in sua Constitutione 88. qua

N

inci-

incipit: In Sacro-Sancta, Catholica Fidei professionem publicam severe insuper exigat à quibuscumque promotis, & promovendis ad aliquam AA. LL. Facultatem, electisque, & eligendis ad Cathedras, Lecturas, & Regimen publicorum Gymnasiorum, hisque omnibus presentem formam præferbit. Quam etiam servare debent Heterodoxi ad fidem Catholicam conversi, & ad faciendam publicam fidei professionem C. ad abolendam 9. de hæreticis obligati. Item Græci, sive ad unitatem Catholicæ Ecclesiæ relicto Schismate redeuntis, sive tanquam Orthodoxi ad supra relata quoquo modo promovendi; Græcorum tamen formula, præter presentem fidei professionem, insuper decretum fidei in Synodo Florentina editum

completur, uti videri licet in Constitutione 33. Gregorii XIII.

345. Scopum, quem fidei sub Pius IV. in concinanda hac fidei formula præfixit, ipse in utraque Bulla insinuat, videlicet: tum, ut unius ejusdem Fidei Professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, ac certa ejus forma innoscat; tum, ut Domini grex curæ illius commissus non solum ab apertis rapacium temporum, undecumque caulis obstreptantiam, insultibus, sed etiam à magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis — ipso Domino cooperante, præservetur.

Cui hæc de Symbolis occasione Tituli I. dicta cedant ad majorem gloriam.

## TITULUS II.

### De Constitutionibus.

1. Absolutis Titulo primo iis, quæ continent ad jus credendorum, quibus regulatur intellectus in ordine ad pie, & juste vivendum in hoc sæculo, quæque in Symbolis continentur; ad alias, quibus in eundem finem regulatur voluntas, atque externa conversatio, Titulo secundo progredimur; notis historicis Constitutiones Ecclesiasticas, ea, qua Titulo præcedenti usi fuimus, methodo illustraturi; de civilibus enim pariter tractare suscepti operis & ratio, & angustia prohibet.

2. Nomine autem Constitutionum Ecclesiasticarum veniunt Canones Conciliorum, decreta Pontificum, æstata Patrum, legesque civiles in corpore Juris Canonici, ut ajunt, canonizata.

3. Hi Canones, decreta, sententiæ, & leges sparsim subinde editæ primis, & subsequentiis Ecclesiæ sæculis, in unum corpus sæpius sunt collectæ: unde variz

Canonum collectiones prodierunt, & de his collectionibus agemus I. de jure novissimo è Constitutionibus constituto, simulque de variis aliis ad corpus Juris Canonici spectantibus II. Cumque ad restant Legum Ecclesiasticarum, earumque obligationis notitiam comparandam plurimum interlit nosse concordata Sacerdotium inter & Imperium, de his, in quantum concernunt nostram Germaniam, agemus III.

#### CAPUT I.

De Sacrorum Canonum collectionibus tam Orientalibus, quam Occidentalibus in genere.

4. **E**TSI sacri Canones, à generalibus, sive à particularibus Conciliis, sive ab alia legitima potestate lati, ex se haberent vim obligandi vel universalem, vel

par-

particulares Ecclesias; à primis tamen Ecclesiæ temporibus in certos quosdam codices sunt relati: tum ut horum ope cuilibet innotesceret, quas regulas in disciplina sequi oporteret; tum ut nullus de autoritate earum regularum dubitandi locus superesset, nullique spuri pro veris Canonibus obtruderentur.

5. Hæ collectiones dividi primo possunt in Orientales, & Occidentales. Orientales sunt, quibus Orientalis Occidentales, quibus Ecclesia Occidentalis utitur. Ambæ subdividuntur in veteres & recentiores; veterum nomine intelligimus eas, quæ olim; per recentiores vero eas, quæ nunc in utraque Ecclesia usum habent.

6. Collectiones tam veteres, quam recentiores bifariam rursus partiiri possunt, videlicet in majores, seu quæ omnem materiam Canonicam ambiunt; & in minores, seu particulares, quæ ad particulare unum vel plura argumenta restringuntur. Veteres Occidentales majores sunt collectiones Isidori, vulgo Mercatoris, Reginonis, Burchardi, Ivonis Carnotensis. Minores sunt collectio Martini Braccarensis, Penitentia Theodori Cantuariensis, Ven. Bedæ, Egberti, Rabani, & Penitentiale Romanum. Recentiores majores sunt decretum Gratiani, & decretales Gregorii IX. Minores sunt Sextus, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII. Extravagantes communes.

7. Hæ omnes collectiones considerari possunt vel quoad materiam, vel quoad formam; quoad materiam considerantur, si spectentur ea, quæ in illis disponuntur; hæc autem sunt Canones Conciliorum tum Generalium, tum particularium, decreta Pontificum, sententiæ Patrum, Leges civiles; quoad formam vero spectantur, si pensentur ordo, seu ipsa harum materiarum dispositio.

8. Quantum ad materiam harum collectionum, primitivæ tam Græcæ, quam Latinæ solos continebant Canones Con-

ciliorum. Græcis postmodum adjecti sunt Canones Apostolorum, & sententiæ Patrum Græcorum: Latinis vero decreta Pontificum, atque æstata Patrum Latinorum; ab utrisque Leges civiles subinde non exclusæ. Prima pars infra patebit, referendo primitivas collectiones. Secunda, tertia, & quarta pariter constabit, agendo de utriusque Ecclesiæ codicibus auctis.

9. Quantum ad formam, seu harum materiarum dispositionem, & ordinem, cum hic sit duplex, Temporum, & Argumentorum, in primitivis utriusque Ecclesiæ collectionibus, sicut & in Græca, quæ post Chalcedonensè Concilium facta est, & in Latina à Dionysio Exiguo concinnata, Ordo Temporum servatus est, seu Canones Conciliorum continua numeratione serie, servato inter illos majori ex parte ordine chronologico, dispositi; in posterioribus vero Latinis, præsertim post Gratianum adornatis, & ordo temporum & argumentorum adoptatus, ita ut varii Canones circa eandem materiam à diversis Conciliis editi sub eodem titulo collocarentur, & iidem Canones sub eodem titulo chronologicè disponerentur: qui duplex ordo in Orientalibus collectionibus pariter servatus est, præcipue in collectione Joannis Antiocheni, & Photiani.

10. Græci genus collectionis habent, quo carent Latini, illud videlicet, quod juxta ordinem alphabeticum disponitur; talis est collectio Matthæi Plasteres, in qua Canones juxta eundem ordinem adnumerantur.

11. Quædam præterea apud Græcos sunt collectiones, *Nomocanones* dictæ, id est, concordia Legum civilium cum Canonibus: inter quas insigniores sunt eæ, quæ Joannem Antiochenum, & Photium Authores habent. Prior in quinquaginta, posterior in quatuordecim titulos distribuitur. In utraque singularum titularum Canonibus Leges congruæ subjiciuntur. Et hujusmodi collectionibus pariter carent Latini; licet enim in pluribus Leges Ci-

N 2

viles